



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Pvrificatio B.M.V. 2. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

PURIFICATIO B. M. V.

2. Februarii.

Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt eum in Ierusalem, ut sisterent Domino. S. Luc. cap. 2.

IBat dies à partu VIRGINEO quadragesimus primus, quo terra dignum aliquando Cælo donum offerret. Gestabat hoc præpectore Virgo nuper, nunc geminâ felicitate Mater Virgo: latus Iosephus claudebat, Virgo Virginis Virginem gestantis comes. Gerebat illa munus in sinu, iste in oculis, arridebat euntibus Cælum, & spectatores Cives suos plenis agminibus effuderat: exi- liebat lætitiâ Tellus, & ad singula pedum vestigia singula fundere lilia gestiebat; cum interim jam Ierosolymam, jam templum pompa ingreditur, & obvius adest felix ille longâ ætate senex, felicior aspectu Servatoris futurus, felicissimè in Vitæ amplexu vitam positurus. Ergò in genua procumbit Virgo purissima, donumq; Cælo dicat, quo nec terra dare, nec cælum expetere majus poterat. Quid hinc dicam? parce nimium

F

MATER

Mater prodiga. Poteras charum pignus pectore avellere? poteras alienis manibus unicum Filium concedere? & talem Filium & tu, o Puer IESV suavissime, poteras abire sinu tam dulci? poteras aliis ullis quam Matris in ulnis delitescere? ite nunc parentes avari, qui DEO negatis prolem. Oredatis: Ite molles filii, qui pluris unam matris lachrimam, quam omnem IESV sanguinem facitis ingrati; Ite & utriusque aetatis florem discite non mundo, sed templi sed aris, sed DEO dicare. *Ex Histor. Evan.*

MEDITATIO

De Purificatione B. V. M.

1. **U**T Divinae gloriae serviret Maria, & obediret legi, coram hominibus honoris sui vitio jacturam facit, in hac enim Purificatione, non Virgo non Deipara, sed una de immundis mulieribus existimatur. Hinc intellige, veram gloriam Divino obsequio positam esse. Tametsi pessimum omnium haberi necesse foret, modo Deus laudatur, non est detrectandum. IESVS qui in purificatione formam peccatoris induit, itemque Maria in Purificatione, non obscura illius veritatis praebet argumenta. Vera gloria a iudicio Divino pendet.

2, Maria devovet aeterno Patri suavissimum aclectissimum

lectissimum Filium. Mirum sanè parentibus doctum mentum! Oportet, ut parentes ipsi filios suos Deo devoteant, non autem, ut sæpè fit, in eorum animis vivendi restringant voluntatem. Hodie, piissime Deus, offero tibi quicquid mihi carissimū est, cor, voluntatem, affectus, omnia.

3. Maria suæ in Patrem liberalitatis fructum refert amplissimum, jam enim recuperat & Filium & honorem suum; nam Simeon eam colit ut Dei matrem, miratur ut Virginem, & in porrectis ejus brachiis IESUM reponit. Si honorem, si cor tuum Deo dederis, etiamnum, in hac vitâ largiorē mercedem accipies. Quam suave est, tam liberali Deo servire, qui danti terrena, caelestia rependit! *Cur non caelo mutamus terram? quare non caducis emimus aeterna? quare non perituris manentia comparamus?* Chrysof.

S. BLASIVS.

3. Februarii.

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Luc. cap. 13.

BLASIVS Sebastenus Episcopus in montem Argæum secessit, inde velut ex specula Gregi suo advigilaturus; ubi feras ad omne genus officii obsequentes habuit; fuitque tam sedulae virtutis stipendium bene

F 2

precat